



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *VERE TAMQUAM* TEMPLUM BEATISSIMAE VIRGINI MARIAE  
SUB TITULO WALLFAHRT MARIA**

**BRÜNNLEIN IN URBE WEMDING SITUM, QUOD INTRA FINES DIOECESIS**

**EISTETTENSIS EXSTAT, AD GRADUM BASILICAE MINORIS EVEHITUR** Ad perpetuam rei memoriam. Vere tamquam fidei catholicae angularis lapis in antiqua communitate ecclesiali Eistettensi in urbe Wemding sublimis eminet sacra aedes Beatissimae Mariae Virginis sub titulo *Wallfahrt Maria Briinnlein*, ad quam tribus iam saeculis christifideles impensa recurrunt pietate. Qua re motus, Venerabilis Frater Valtherus Mixa, Episcopus dioecesis Eistettensis, communia cleri fideliumque suorum preces ac vota excipiens, litteris die V mensis Februarii hoc anno datis, a Nobis petivit ut eadem sacra aedes titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaretur. Nos, peculiare dilectionis Nostrae documentum cupientes praebere, enixis precibus obsecundandum esse censuimus. De sententia igitur Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra potestate, harum Litterarum virtute sacram aedem, quam memoravimus, titulo ac dignitate Basilicae minoris decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae aedibus id genus rite competunt, iis tamen servatis quae, secundum Decretum « De titulo Basilicae minoris » die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Ceterum vota facimus ut auctus tam antiquae ac nobilis ecclesiae honor bene vertat in spiritale bonum omnium fidelium qui in eam ingredientur Dei auxilium nec non validissimum Beatae Mariae Virginis patrocinium rogaturi. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis quibuslibet minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XII mensis Septembris, anno MCMXCVIII, Pontificatus Nostri vicesimo. De mandato Summi Pontificis*

ANGELUS card. SODANO © Copyright 1998 - Libreria Editrice Vaticana

---